

RICAS.

**I**NITIO MONENDUM existimo lectorem de summa ac fine totius huius libelli Theoricarum, de ratione methodi, atque de ordine quo hic autor in docendo vti solet. In scholis præcipiunt primum querendum esse de subiecto, id est, de materia & capite negotij, de quo principaliter docendus est auditor. Id aliàs uno verbo velut titulo indicatur. Aliàs tota oratione ac pluribus verbis describitur. Solet autem Astronomia diuidi in duas partes seu species quarum prior continet doctrinam primi mobilis, posterior vero tractationem secundorum mobilium, ut planetarum. Si quis igitur interroget, quod sit subiectum seu *ὑποκείμενον* eorum libellorum, qui titulo *Sphæra* inscribuntur, qualis est *Sphæra Procli*, *Ioannis de Sacroboſco*, & similium, commode responderi potest, subiectum esse primum mobile. At huius libelli subiectum sunt omnia reliqua corpora cælestia, præter primum mobile. Aut si quis omninò velit copiosius huius libelli scopum explicari, is sciat in summa illud hic agi, ut cælestium motuum

C

AC COP.